Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8249
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek

in sinistram debeat fieri. quia Christus a
dextra .i. a patre veniens diabolum
per crucem repulit. qui per sinistram significatur.
Dicto titulo evangelii. respondetur
ab omnibus Gloria tibi domine. Proposito namque
evangelio ad legendum inquam agitur de gloria
dei et nostra qualiter videlicet Christus diabolum
vicit et nos redemit et victor ad
gloriam patris ascendit. auditores
evangelii letantes ad laudem sui crea
toris exclamant dicentes. Gloria tibi
domine. quasi dicerent. Gloria tua que nobis in evangelio
predicatur nobis sine fine permaneat et
semper crescat. Lecto evangelio debet
quisque dicere amen. et pectus suum signo
crucis munire. Quasi dicat. Deus faciat
me in doctrina evangelii perseverare quod de
signat per amen. Vel ut alii volunt
Deo gratias. debemus dicere. lecto evangelio
sicut post quamlibet lectionem vel capitulum.
Sed melius est ut dicatur amen. Cruce contra
diabolum se munit. ne ipse rapiat ser
monem domini de pectore eius. Cum le
gitur evangelium. cuncti velamina capitis
deponunt. quia evangelica predicatio omnis
legis velamina removit. et homines qui
prius deum in enigmate videbant verita
tem legis aperta cognitione vide fecit.
Debent viri audire evangelium revelato
capite ut quinque sensus patuli sint ad
audiendum. Inde est quod clerici non habent
longos capillos. sed alte tonsos. ut
melius possit audire. et coronam ha
bent. ut inter eos et dominum nichil sit
medium. Longitudo capillorum. mul
titudinem peccatorum significant.
Mulieres vero velato capite debent
audire evangelium et etiam virgo. apostolus ponit
mulierem vetitum. et si non habet velamen. maritus
eius vel aliqua mulier supponat aliquem
pannum capiti. Item erecti debemus
stare inclinato tamen capite nec debe
mus apodiare [auflaynen] nisi necessitate cogente.
In lege enim precipiebatur. ut edentes
agnum paschalem baculos in manibus
tenerent. Diacono legente evangelium.
baculos deponimus. quia Christo predican
te deposite sunt legales observantie.
Post evangelium statim
debet subiungi simbolum fidei. id est
Credo in unum deum. et cetera si sollempni
tas fuerit. non tamen in omni sollempnitate
cantatur. sed in festis illorum tantum. de quibus
fit mentio in simbolo. ut in festo Tri
nitatis. In natali. In circumcisio
ne. In epiphania. In pascha.
In ascensione. In Pentecosten.
In festo omnium sanctorum. In transfigura
tione domini. In festis beate virginis
Marie et omnium sanctorum apostolorum et sancte
Crucis. et in omnibus diebus dominicis. et
Dedicationibus. In aliis autem sollempni